


EMINENTISSIMO PRINCIPI

FLAVIO
CARDINALI CHISIO
IN GALLIAM
LEGATO.





PROPEMPTICON
IACOBI ALBANI GHIBBESII, M.D.
atquè in Ro: Sapientia Eloq: Prof.



ROCESSIT, Labarumquè palàm Crucis extulit almæ
FLAVIVS, ille oculus Romæ, sanctiq; voluptas
Vna Patris: cui penè vices concredere posset
Emisso ad Gallum grandi molimine Regem.
Ecquid maius habet, vel pignore dignius isto
Pontificalis apex, summum prætendere honorem
Inuictis Ducibus, pars iuerit altera quàm si
Vrbe salutatrix longè, pars altera restet?

Talis alit CHISIO *vulsus de stipite ramus,*
Purpureus ramus, nitidæ sub flore iuuentæ,
Dimidium Patrui, totum qui temperat orbem,
F LAVIVS. Eccè trahit Lateris *per vulnera nomen*
Legatus: *pungit nimiùm, turbatque Quirites.*
Quid queror? ipsa elementia fidem fecere doloris.
Sacra dies Vitalis *erat (me iudice, morti*
Sacra magis) primam cœpit cùm ducere pompam
Exquilijs, longa medium stipante caterua,
Conspectorum in equis procerum cum murice & auro,
Flaminiam ad Portam; populi *tunc iure vocasses*:
Cui mos vndè fuit deductus nominis antè,
Nescio, nec iam cura tenet: sed iure vocasses
Tunc populi Portam, *collecto ex ordine gentis*
Innumeræ. Tanta ipsum exciuit causa videndi!
Nec minùs intereà cunctas via larga per ædes
Condensos profert cuneos. Vrbs tota coiuit.
Ceù quondàm Siculæ pictis in saltibus Hyblæ
Rex siquandò gregis mellitam deserit aulam,
Artifices comitantur apes, franguntque laborem
Inceptum; obsequio iuuat indulgere frequentes:
Delituere viæ; resonat stridoribus æther:
Haud aliter turbas inter vocesquè tuentum
Pergebat longo dulcissimus agmine Princeps.
Indè lucrum sibi quisque facit, nec tempore festo
Sustinet insudare operi. Iam tecta tapetes
Mane nouo decorant varij, iam florea vicis
Sylua viret, iam multa animat matrona fenestras.
Hac iucunda tenùs spirauerat aura triumpho.
Ast vbi fit propior muris, portamquè subibat
Egregius Iuuenis, *campum rapturus apertum*;

Continuò, velui lachrymans, ruit imbribus Auster,
Contristatquè diem lætum, si fortè morari
Discessum valeat, luctuvè inuoluere ciues,
Iacturæ monitor. Sed cùm nil tale moueret
Consilij certum; non, si cadat ipse tumultu
Iupiter: in melius conuersa est ira proterui;
AEoliam repetit; Zephyris dat regna serenis.
Protinùs æstiuo micuit Sol aureus axe.
Ex illo, clarum semper procedere cælum,
Semper amæna dies, dubijs nox visa tenebris.
Auguror: & Morinas constabit semper in oras.
Et iam littus habet, Latiæ meta vltima terræ,
Centum Itali dicunt Cellas, Thusci ostia ponti,
Romani ditioquè Patris, statioquè carinis:
Impiger hinc socijs soluet cum millibus heros,
Conscendetquè sacras meritò sacer ipse triremes.
Nec mora, conscendit. Iuncto clamore celeusma
Cepit rasa cohors; deducitur anchora fundo:
Attollunt malum velis & funibus aptum:
Margine tum laxant naues, transtrisquè residunt
Obnixi remis vastum propellere in æquor.
I, decus Ausonidùm, notisquè relabere ripis,
Inter vtrumque celer. Vos ò (nam sola supersunt
Vota animo; & veris flectuntur numina votis:)
Vos, Superi, quibus æqua maris cælique potestas,
Indè boni spectate, precor: memoresque malorum,
Vndiquè ab infido surgunt quæ plurima ponto;
Ducite securam Phocæa ad littora classem.
Hæc eadem Phœbi facies, hic ipse Sororis
Vultus adoratos absoluet crimine Diuos.
Finis Aprilis erit Maj potioris origo.

Et nos muneribus grati cumulabimus aras.
Quanquàm vestra magis causa est. Quis vincula nescit
Mutua, cognatumquè genus? Pater optimus orbis,
Quem penès æthereum geminis stat vertere Olympum
Clauibus, & parti vestrùm qui limina pandit,
Indigetemquè dedit CHISIVM sociare propinquum,
Affulget PATRVVS currenti magnus alumno.
Quid memorem virtutis opus, cum Rege gerendum
Excelso, sublime, ingens; ceruicibus illis
Impositum velut Herculeis, cordiquè sagaci?
Lumine fas certè diuino credere, tantisq;
Auspicijs, qui munus obit letabile, dignum.
Officio vincti, pronæ date pignora mentis.
Vt teneant regna alta fidem, subiecta tenebunt.
Non ego tunc ventos, tempestatesque sonantes,
Non Hyadas, cæli nec cætera signa maligni,
Arcturumq; Helicenq; Lycaoniosq; Triones,
Oleniumvè pecus metuam: pro pestibus atris
Alba renidenti lucebunt sidera vultu
Tyndaridæ, mensis domini cursusquè, Gemelli.
Imò, etiam summa velorum in parte ferentur
Custodes propiùs Iuuenis. *Nunc vndiquè blandis*
Aura licèt portet Zephyris, cingatque carinam,
Haud tamen in puppi perflat, vel ritè secundat.
Transuolet ad Celtas potiùs, charumque resumat
Depositum portu, cultis magis vtilis aruis.
Has Vulturnus aget partes, aut viribus Eurus
Infractis sub Sole calens; nam fortior obstat.
Tu tantùm, Palinure, sinus offerre memento;
Ilicèt à tergo venient implere sodales.
Optatis fruimur: sensit sua flamina pinus:

Apparetquè viris Ledææ prolis imago,
Vix nostris concessa oculis: sic vmbra minuta est
Indè procul; sic decrescit citâ remige classis.
Nec minor obsequio domitor maris, omnibus vndis
Romulidæ magno Saturnius assurrexit,
Illius exultans passim Neptunus honore;
Substrauitquè leues fluctus, atquè æquora nautis.
Ipse agitur celsus curru Deus: indè secutæ
Consertis manibus nymphæ per cærula festos
Exercent de more choros. Modulamina Triton
Tortilibus celebrat conchis, non ære canoro
Gratior. Ad numerum saltare Palæmona cerno,
Proteaquè, Glaucumq; simul, Phorcynquè biformem,
Diuos inter aquas, exosum vatibus agmen:
Delphinùmquè greges, & amantes littora phocas.
Atquè hæ (credo equidem) Phocæo in margine sistent
Massiliæ, ante rates non pigro ventre natantes.
Perdidimus tandem visus trabiumquè, virùmquè:
Quod superest, cupidis durum solamen amicis,
Succedant oculis aures. Vt nocte viator
Illuni, densæ vel cùm caligine syluæ
Dispersus quærit comites; vbi luminis vsum
Amisit, nec voce valet, se totus in aurem
Contraxit, captans omnes hac vndiquè motus:
Huic pariter nostros arti fidamus amores.
Me miserum! intonuit: quatiunt fera murmura pectus:
Quis fragor auditur? cesset metus, æthere puro;
Agnosco sonitus fractos, alternaquè signa:
Tyrrhenæ crepuere arces, misère salutem
Martigenis præter muros labentibus altam,
Horrifico ritu. Sic odit, amatque Liburnus!

Parte alia, mentis dabit argumenta benignæ
Genua potens, quantùm spolijs, tantùm inclyta donis,
Vrbs Ligurum princeps, & clàro Principe digna.
Lætitiam æratis pandent centum ora metallis,
Vexillo deuota tuo, Prætoria nauis,
Magnanimi FLAVI sedes. Pulsata resultat
Gallia, iam primis fremuerunt Stœchades antris.
Eccè autem plenis emensi cursibus æquor
Aduenere Itali portus, ac mænia læti
Massiliæ antiquæ, studio cultuquè vigentis.
Desupèr è pinnis conferti, & littore curuo
Prospectant populi naues, sertisquè coronant.
Castra vomunt flammas, & cælum murmure miscent.
Ipse solo intereà consedit maximus Hospes,
Gauisus tellure noua, gauisus honore
Primorum immenso gentis: subducitur vrbi
Inter ovans medios, celsaquè in sede locatur.
Mòx clari (vt fama est) iussis regalibus acti,
Villanova *Antistes venient* Dighierus *& Heros,*
Alter Lugduni, Delphini finibus alter,
Accincto comites Luparæ procurrere ad aulam.
Tolle CRVCEM, dilecte Deo, iure vtere sancto
Romani Domini, iam istinc & concipe Claues.
More potens sacro dignè LODOICVS aditur
Relligionis honos, & matris filius almæ,
Iuratusquè suo læsæ vel sanguine vindex,
Quò res cunquè vocat: non regni degener ille,
Immemor aut Florum, quos candida Gallia nutrit.
Vade agè, magna Patris defer mandata Latini,
Armigerumque Ducem pulchris de rebus amico
Pertenta alloquio. Pronis te Sequana ripis